que, quam antea iam de Te animo conceperam opinionem, mirifice confirmavit dissertatio litteris Tuis adiecta, et exquisito studio conscripta. Non sunt sine, affamine, uti scribis, sed ita potius haec comparata sunt studia, ut magna quaevis ac eximia sibi sine istis non censent. Ad corollarium secundum, dissertationi isti additum, quod attinet, non video profecto, quid in eo reprehendi queat. Locus Gen. XV. 14. rectissime ita explicatur, et quae ceteroquin se hic afferre poterat, difficultas, evitatur. Sed rectissime etiam ad sententiam Tuam confirmandam loca quaedam profanorum auctorum adduxisti. Quid enim usitatius? quid apud eruditissimos quosvis interpretes frequentius? Praestantissimum pulcherrimumque hunc esse fructum, quem ex veterum Latinorum Graecorumque

Scriptorum lectione referimus, semper existimavi; nec aliter existimare poterunt, qui aequa lance omnia ponderare didicerunt. Non ergo est, ut eiusmodi imperitorum hominum iudicia scrupulum Tibi moveant. De me vero ita statuas velim, me illos, qui eiusmodi litteras colunt, vehementer amare, nihilque gratius aut optatius mihi contingere posse, quam si re ipsa meum erga illos declarare queam animum. Cumque videam, orbem litteratum praeclara quaevis ac eximia a Te exspectare merito, Deum precor, ut animi corporisque vires, et quicquid insuper ab eo expetis, quam copiosissime largiatur. Vale, vir doctissime, et, quod facis, me porro ama.

Scribebam Ienae die XXIV. Octobr.
MDCCXXIII.